

Adamo lapsi, sive universum Genus humanum. Redemptori jungit Apostolus Redemptos, inquit; Christus ἡμᾶς NOS redemit. Intelligit autem non *solos Judæos* (nam quod *Glossa interlinearis, Thomas Aquinas Lect. V. in h. l. Crellius Photinianus in paraphr. h. l. fol. 456. Tom. 1. Oper. Exeg. aliique ad Judæos solum referunt, angustius est, & ratio, quam afferunt, nimis infirma, cum Decalogi seu Legis Moralis violatio omnes homines maledictioni mancipet v. 10.) nec solos fideles tam ex Judæis, quam ex gentibus, ut explicant *Gomarius Com. in h. l. p. 509. a. Oper. & Job. Crocius in Com. ad h. l. p. 79. Oper. in fol. sed omnes & singulos homines, Judæos & Gentes, quippe qui omnes sub maledicto legis erant. Argum. est tale. Quicumque sub lege vel ad legem obligati sunt, eam verò propter adhærens peccatum perfectè servare non possunt, sub maledicto legis sunt, v. 10. sed omnes homines sub lege sunt, scil. naturali & morali, nec tamen propter adhærens peccatum eam perfectè servare possunt. E. Porro: Quicumque sub lege erant, illos Christus redemit, Gal. IV. 5. sed omnes homines sub lege erant (non quidem Ceremoniali & Forensi, ut Judæi, sed morali, & quidem non tantum *normante*, sed & *maledicente* Gal. III. 10. Deut. XXVII. 26.) Ergò omnes homines Christus redemit. Ac proinde Christus omnium hominum Redemptor est, *dedit semetipsum ἀντίλυτρον, pretium redemptionis pro omnibus* 1. Tim. II. 6. *Est Servator omnium hominum, maxime fidelium* 1. Tim. IV. 10. *Servator mundi* Joh. IV. 42. 1. Joh. IV. 14. *ἱλασμός, placamen, propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantum, sed & pro totius mundi*, 1. Joh. II 2. Etiam pro illis Christus mortuus est, qui pereunt Rom. XIV. 15. 1. Cor. IX. 11. Diciturque ἀγορεύσαι *emisse* (non *κατὰ δόξαν, putativè & opinabiliter, seu ipsorum professione & gloriatione, ut heterodoxè statuunt Pareus, Piscator & Laurentius Com. ad h. l. itemque Wendelinus Exercit. 64. §. 42. sed κατ' ἀλήθειαν, ipso actu reali & verissimè*) illos, qui ipsum abnegant 2. Petr. II. 1. interim tamen soli fideles beneficii Redemptionis actu fiunt participes, quia illi soli eam sibi per fidem applicant.**